
DE PVELLA GERMANICA, QVAE FERE BIENNIVM VIXERAT SINE CIBO, POTVQVE

AD PAVLVM III. PONTIFICEM MAXIMVM,

SIMONIS PORTII DISPVTATIO.

FLORENTIAE APVD LAVRENTIVM TORRENTINVM. M D L I.



AD PAVLVM III. PONTIFICEM MAXIMVM.



AM ANNVS, *ni fallor, agitur quartus, Pontifex Sanctißime, ex quo ager Puteolanus, subito igne correptus, totus penè conflagrarit; amicorumq́ crebræ exhortationes, causas eius conflagrationis naturaleis scrutandi ansam præbuerint. Quibus vt tum facilè obtemperaui, quòd res in procinctu Philosophis esse videretur, quæq́ nihil à rerum natura abhorrens portenderet: ita cùm nuper è Germania nunciaretur, Puellam nescio quam, totum iam biennium nihil gustare, eorundem amicorū quotidiana quasi conuicia, huius* ἀσιτίας τε καὶ ἀποσίας *causam quoque efflagitarent: ijs sedulò primùm sum reluctatus, partim quòd vt puta minus verisimile, ad Luciani Ueras narrationes reijciendum putarem: partim quòd, dum fama increbuisset, egoq́ anxiè disquisiuissem, Dei ne an Naturæ beneficio id esset asscribendum, statim occurreret communis illa, vulgoq́ iam paßim persuasa opinio, quæ omnia, quorum incertæ, minimeq́ vulgares sunt causæ, Deo Opt. Max. tribuit, ac præter cum asseuerat nihil esse inquirendum. Idq́ eò certius*

animum induxeram meum; quòd ſacra tam noui, quàm veteris teſtamenti monumenta, nihil eiuſmodi proponerent, neque traderent. Siquidem, vt Moſen, & Heliam, ipſumque Seruatorem noſtrum, qui quadraginta ieiunarunt dies, ſubticeamus: quibuſnam quæſo orthodoxorum literis proditur, vllum vnquam aliquot menſeis, ne dicam annos, inedia vitam tranſegiſſe? Quinetiam mihi perſuadebam, magnum miraculum ab optimo omnium Principe editum: nimirum quò perditis gulonibus, quibuſque Deus venter eſt, ſignificaretur, Chriſti aſſeclam, alio quàm obſonijs, cibiſue opiparis viuere: quippe verbo Dei viuit fidelis: & iuſtus non ex ſolo pane viuit: atque per fidem, panem viuum, hoc eſt, vitæ datorem poſſidemus. Verum cùm ij inſtarent, quibus honeſtè negare non poteram, præſertim æqua poſtulantibus: vt ſi quid in imis Naturæ viſceribus abſtruſum lateret, id digito porrecto quaſi indicarem, ac proderem: ad tuum numen, Pontifex Sanctiſsime, mihi profugiendum exiſtimaui, vt ſi quippiam in hac noſtra qualicunque diſputatione, minus verum, minus'ue religioſum proferretur, à te non augurum, ſed Chriſtianorum collegij Pontifice, ad veritatis bilancem appenderetur, ac examinaretur: vtque id ita demum alijs probaretur, vbi ſingularis tua eruditio, religioq; comprobaſſet.

An nutriatur aëre *Caput. I.*



VNT qui credant, Puellam hanc aëre nutriri: his ferè rationibus, vt audio, inducti. Primùm, quòd aër vim maximam in alterandis conseruandísque corporibus habeat: idque omniũ non Medicorum modò, verum etiam Philosophorũ, maximè Peripateticorum, consensu: nãque aërem tamdiu attrahimus, quamdiu datum est viuere. Ad hæc, tantam esse nobis cum aëre necessitudinem dicunt: vt cibo, potuque aliquandiu carere, sed nullo temporis interuallo citra aerem viuere queamus: vsqueadeò vt ob id Philosophi quidam non vulgares, animã aërem esse crediderint, nimirum quòd eo viueremus. Denique aërem, potissimum crassiorem, & si non omni, aliqua tamen ex parte, nostra corpora refocillare, experientia compertum asseuerant: connectũt que rationem, neminem sanæ mẽtis negare posse, quin puella hæc nutriatur: quãdo quidem omne quod viuit, necesse est vt nutriatur, at nec cibo, nec potu: ergo, aëre: aut aliud in medium afferendum inquiunt, quod ad nostras substantias propius accedat, quàm aër, qui intima nostra corpora subit: potissimum cùm nemo dubitet, quin spiritus attracto aëre gignatur.

Obiectiones *Caput. II.*

VERVM quàm hæc sint friuola, & anilibus quibusdam deliramentis simillima, paulopost docebimus, vbi paucula quædam fuerimus præfati. Aristoteles maximus Naturæ interpres, solis viuentibus nutricationẽ concessit, in quibus sit facultas quædam nutrimentum attrahendi, concoquendi, ac secernendi purum à fæculẽto, simul & commutandi in viuentis substantiam. Insu-

per solis animatis, his functionibus, instrumēta idonea, Natura est largita: nempe animalibus sensu pręditis, os: vt per id sumant alimentum: Plantis verò, radices, oris functionem obeuntes: sed his, quòd attrahant concoctum alimentum, alia organa, quæ in animalibus conspiciuntur, non addidit. Verum omnia hæc opera, ab ipsa anima, vi calidi animalis perficiuntur: quæ illud in omneis parteis, superioresvidelicet & inferiores, anteriores, & posteriores, dextras & sinistras distribuit: quippe quòd ad omneis has differētias anima motu cietur. At elementa, metalla, lapides, & in summa cuncta inanimata, vno motu, vtpote superno, aut inferno, feruntur. Vnde elicere queamus, formam illorum, ad omneis partium differentias, motu ferri nequaquam posse, atque ob id non esse nutritionis principium: cùm ab hoc opere, quod vitale dicitur, vita ipsa, viuentium forma, vita nuncupetur. Ad hæc, idem Aristoteles negauit, non modò vllum inanimatum, sed ne prima quidem illa corpora, à Philosophis nominata elemēta, cùm sint simplicia, nutriri: ratio est, quòd nutrimentum sit mixtum. Deinde, ex iis sumus, ex quibus nutrimur: sed ex mixtis pluribusque elementis sumimus alimēta: ergo sumus mixtū quippiam. Confirmat porrò animalia ex quatuor elementis concreta, ea ratione, quòd nutriantur mixtis, igitur simplicia non nutrientur. Quod si quis mihi obiecerit, ignem nutriri, vt Aristoteles lib. ii. de Generat. sentit: poëticum id dicam. ἅμα γάρ τοι πάντα, φησὶν ὁ ποιητής, τὸ πῦρ ἐσθίει. nam cùm omnia vorēt, cúmque sit aliorum elementorum forma, ac omne combustibile conuertat in suam naturā, ob id dicitur nutriri. At vera nutritio, est viuentis: quando commutat alimentum in viuentis naturam. Quod quidem fit ad cōseruationem eiusdem formæ, quæ heterogenea à nostris nuncupatur. Verùm ignis illa nutritio, generatio est alterius formæ similaris, in materiam eam, quæ propius accedit. At hic, & si si

guram,similitudinemque nutricationis assumit, attamen,vt belle declarat Simplicius lib.ii. de Anima, cùm alia elementa crescant & conseruentur additione elementi eiusdem formæ(vtpote terra adiectione terræ,& aqua augeatur aquæ affusione) solus ignis accessione rerum dissimilium(exempli gratia,ligni,vel lapidũ) quas sua,propriaque virtute conuertit in suam naturam,crescit:nec conseruat ea,quæ prius erant,sed in illa materia priori cohærente,alium generat ignem. Itaque cùm cõpertum sit,simplicia corpora non nutriri, consentaneũ videtur, nec ea quidem posse alimentum suppeditare: nam quę non nutriuntur,nec nutriunt. Est quoque cõmunis ratio, quòd ex iis nutrimur, ex quibus sumus: quæ conuertitur, quòd ex quibus sumus, ex iis nutrimur. Vtitur hac Arist.lib.ii.de Generat.quòd ex quibus nutrimur,ex iis sumus. Et in lib.de Sensu, & Sensili, ex quibus sumus,ex iis nutrimur. Quæ sanè mihi nihil videntur aliud significare,quàm simplicem cõuersionem. Sequitur ergo, in vniuersum omne nutrimentum esse mixtum, & omne nutritiuum mixtum, nec esse nutrimentum simplex,igitur. Porrò,quod nullum animal aëre nutriatur,his probatur argumentis: quoniam omne nutriens,generet excrementum,aër verò minimè. Præterea, quod si is nutriret, aleret aut totum animal, aut animalis partem:non alit partem, nam cùm reliquæ nõ nutrirentur,non esset naturalis nutritio, sed essent difformes,vna animata,& inanimata alia: quoniam quod non nutritur,nec potest augeri,nec generari: estque id prorsus inanimatum. Proinde hoc pretermittimus, vt ridiculum:Sin autem totum animal aëre nutriretur,consequens esset,vt id quod est in animali,igneum,aut terreum,aut aqueum,ab aëre aleretur. Atqui paulò antè diximus,hęc non conseruari, nisi adiectione alterius eiusdem rationis,vt puta aqua aquæ,& terra terræ. Quare aër non conseruat terram,nec aquam. Quinetiam si aër

nutriret,instrumenta nutricationi inseruientia nulli nobis essent vsui:quorsum enim ventriculus,cùm omneis nostri corporis parteis aër permeet?quorsum hepar, si non potest in sanguinem,aut in spiritum,(nanque spiritus eiusdem naturæ est cum sanguine, & si rara subtilíque sua natura ab eo non nihil differat)conuerti? quorsum denique venter inferior, si excrementa non secernuntur ab aëre?

Iuniorum Sententia. *Cap. III.*

CAeterum huc occurrunt nonnulli inter Latinos argutiores,& volunt hoc de aëre puro intelligi: putãtque hunc infimæ,& cõtiguæ regionis aërem,quem nos inspirando attrahimus, quique impurus est, & vaporibus commixtus,nostra corpora nutrire. Atque addunt alii,non totum animal ali, sed spiritus tantùm,idque ex Galeno colligi:cùm perfacilè in spiritus naturam transmeet. Verùm hoc quoque,mea sententia,est perridiculum,ob eam, quam suprà diximus, rationem. Namque cùm spiritus sit mixtus, quomodo aër terram cõseruat, aut nutrit in spiritu?quando,præter ignem, alia elementa,velut iam sæpe diximus,conseruentur,additione alterius similis & eiusdem formæ,nisi quis affirmet, omnia elementa spiritus,conuerti in aërem. Quòd si ita esset, animal relinqueretur simplex. Ad hæc,si datus aër.a.nutriret spiritum, dabitur aër.b.illo crassior,& corpulentiorem partem nutrire necesse est: Dabitur denique.d. aër hoc crassior,carnem nutriens: Atque hoc modo, si aër aleret spiritus, totum quoque animal nutriret. Est enim æqua proportio.a.aëris, ad spiritus, quæ est.b.ad corpulentam partem,aut.d.ad carnem. Quocirca quærendum etiam imprimis esset,num aër caliginosus maximè nutriret:& an pauciori cibo nobis, tempore nubilo,opus esset,cùm aëre nutriremur: Quod,puto,nemo

sanæ

ſanæ mentis admittet. Atqui, quòd nec aër quidem mixtus vlla ratione alimēti vicem viuentibus ſuppeditet: manifeſta eſt Ariſtotelis ſententia libro de Senſu, & ſenſato: vbi redarguit Pythagoricos (aſſerentes odorem nutrire) argumento à maiori. Aqua ſimplex non nutrit plantas, niſi admiſceatur fimus, vt ipſe inquit lib. de Generat. cùm ſit corpulentior: quantò minus aër, qui multò eſt exilior, quoniam non poteſt generare conſtitutā materiam, & corpulentam. Et loquitur Philoſophus, de aëre commixto vaporibus odorabilibus, qui impurus eſt, eumq́ue negat nutrire: Quare nullus aër nutricationi à Natura accommodatur. Huc accedit & alia ratio, omne nutrimentum generare excrementa, quæ Natura propriis membris excipiat. Sed ab aëre nihil excernitur: quandoquidem excretio fit, ex varietate difformitateque cibi. Inſuper, quòd miſcetur aëri, eſt vapor, vel exhalatio: quorum neutrum ſuapte natura nutrit: Vapor enim eſt aqua depurata, quam Ariſtoteles negat nutrire: exhalatio verò, maioris eſt ſiccitatis, ac terræ potius ſubit naturam, ineptiſsima & ipſa ad nutricationem. Nullo igitur modo duo elementa tantùm, vtpote aqua, & aër, nutriunt: nec poſſunt corpus aliquod cōſtituere. Rurſus ea, quæ nutriuntur ſunt viuentia: ſpiritus autem non viuit: Illa enim viuere dixit Ariſtoteles, quæ ſunt organica, aut partes animatæ: Sed ſpiritus, nec eſt animatus: nec corpus organicum, vt inquit Ioannes Philoponus lib. ii. de Anima. Amplius, ſi nutriretur per ſe, haberet nutritionis organa, quæ ſunt ventriculus, cæteraque eius generis, huic motui deſeruientia. Quinetiam aliud ſequeretur non leue incommodum, quod nutrimenti eſſet nutritio: quandoquidem ſpiritus nutrit, & non nutritur: eſſet enim, in immenſum petere: Quare huiuſmodi opinio non eſt à Philoſopho audienda. Eſt igitur quod alit, mixtum: vtpote quod anima, per calidū̄ ipſius animati, conuertit in ſubſtantiam viuentis. Porrò neceſſe eſt aërem, reliquaq́ue elementa prius miſceri,

quàm nutriant:verùm ab anima nō fit mixtio, ſed à primis qualitatibus,& cœlo. Itaque cùm anima nequit miſcere ,non poteſt quoque animatum,ante quàm elementa miſceantur,nutrire:quippe cùm ante mixtionem,elementa non ſint ſimilia animalia.

Rationes Latinorum. *Cap.* *IIII.*

CAeterum cùm nonnulli celebres, & in re Medica præcipuè viri,aërem nutrire contenderint:non erit ab re,quæ in hanc ſententiam dicant, in medium afferre,quo noſtra de Nutrimēto opinio magis eluceſcat.Galenus ex Hippocratis ſententia , lib.de Vtilit. pulſuum, voluit inſpirationem duo quædam munera obire : vnū, vt calor refrigerio quodā conſeruetur:alterum,vt ſpiritus nutriatur.Item lib.de Alimētis , vtilitatem præſtare anhelitum,quod cibet animalis ſpiritum: & in Methodo medendi,ſpiritum irrigari,& nutriri,per inſpirationem.Item eodem volumine lib.iii.animi defectum, qui ex ſyncope,ortum habet,oportere curari iis, quæ ſpiritum nutriūt,ex odoribus bonis:.niſi in ea ſyncope quæ fit à matricis pręfocatione.Accedit & illud,quod de medicinis cordi conferentibus ait,Dulcia & aromatica efficacius prodeſſe:ea ratione,quòd natura auidius ea amplectatur,ſpirituſque illis celerius nutriatur.Sūt & aliæ quæpiam rationes,videlicet, ꝙ mixtum à mixto alatur, & maxime ſimile:aër verò mixtus,id eſt impurus,eſt ſimilis ſpiritui., cùm ſit corpus mixtū, ac ſubtile.Ad hæc hiſtoriæ narrant,Democritum Abderitam tres dies vixiſſe,odore mellis,vel vt alii volunt,panis recētis:piſces quoque aqua lympidiſsima à quibuſdam ali dicuntur. Quin & Olympiodorus,vt refert Ariſtoteles, ſcribit ſe hominem vidiſſe,qui aëre ſolo,& Sole nutriretur : quibus in Phædone Plato ſimilia quædam adiicit : vt interim omittam, quibus elementis Salamandram & Chamæleontem nutriri nonnulli credant.

Obiectiones. *Cap. V.*

AT verò quoniam Philoſophi præcipuũ munus eſt, reddere rerũ cauſas, earumque rationes certioreis depromere (nam vbi viget ratio, authoritas ceſſat: argumento nobis ſunt omneis, qui Ariſtotelem præceſſerũt, quorum non eſt ſecutus authoritatem, ſed rationem, qua illos refutauit) Nemini mirũ videri debebit, ſi quædam in Galeno non ſatis probemus, cùm ſibi interdum non videatur conſentire. Galenus lib. de Alimentis, & de complexionibus, ait, vinum eſſe inter ea quę corpora noſtra nutriant, facillimæ concoctionis: opus tamen eſſe, vt per ventriculum ad hepar, & alia trãſeat membra, huic functioni præfecta. Quare omne nutrimentum recreans id quod à calido naturali eſt abſumptum, ea tranſire organa, neceſſe videtur. Atqui aër alterat quidem humectando, exiccando, calfaciendo, aut refrigerando, attamen non nutrit. Nam, ſi prima vtilitas eſt refrigerare, & temperare ſpiritus cordis, nequaquam nutriet: cũ nutritio fiat à calido, nec poſsit duo ſimul cõtraria præſtare: refrigerare ſcilicet, & calfacere: & quamuis multi ſint cibi qui alant, & refrigerent: hoc tamen de ſpiritu minimè affirmari poteſt cũ ſolo calido nutriatur. Quare Auerroës, non magnifaciens authoritatẽ Galeni, negat duas vtilitates, quas ſuprà enumerauimus, inſpirationem præſtare: Vnum inquit, eſt verum, ſed alterum falſum, atque addit rationem, quòd ſi ſimplex nutriret, daretur animal ſimplex, & vno elemento compactum: quod ipſum in li. de Anima non ſemel reiicit Ariſtoteles: ac propter hanc cauſam, ipſe quoque Galenus negat aquam nutrire. Nec datur locus de aëre ſimplici vel impuro: quoniam de eo eſt in præſentia diſputatio, qui nos ambit, quemq; inſpirando attrahimus: qui & ſi mixtus ſit, multiſque alteratus corporibus: eum tamen nutrire non vult Ariſtoteles, velut antea quoq; admonuimus, quinetiam Galenus lib. primo de Elementis nutri

mentum esse mixtum, vt indubitatum tradit: atque nec opus est, nec medicis conducit, aërem nutrire. Porrò aromata, odoreque fragrantia, & si passim persuasum sit, non nutriunt, sed reficiunt, & vt ipsi loquuntur, confortant, idest spiritus vniunt, cerebroque conferunt & exiccant. Quòd si quis acrius mihi instet, dicatque apud Galenum aërem nutrire, & generare animaleis spiritus, id equidem falsum semper existimaui. Nisi dicamus, ob id nutrire, quòd sua humiditate spiritus recreet, & humectet: quæ humectatio apud Medicos nutritio interdum nuncupatur: Dicunt enim Aloën, cæteraque eiusmodi nutriri, cùm humidis infunduntur. Quòd si aliter intelligas Galenum, ipse sibi, mea quidem sententia, non cõstabit. Itaque his primæ quæstionis parti satisfactum esto. An verò alio quopiam animal ali posSit, ambiguũ sanè est: attamen experiundum, quid ex Aristotelis verbis elici queat. Is animalia cibi esse appetentiora docet, tum ex corporis complexione, tum partium dispositione. Ait enim lib. iii. de Partibus animalium, ea esse voraciora, magisque cibum appetere, quæ rectum intestinũ habent, quàm quę anfractuosum, insuper, pituita abundãtia, minus cibum decoquere. Atque hanc ob rationem Rasis Medicus non obscurus, pręcipit, animalia biliosa bis die resocillanda esse, cum habeant calidum potens, citissimeque virtus illa concoctrix conficiat. Pituitosa verò, semel in die, tum ratione calidi remissi, tum ratione phlegmatis, quod vices supplet sanguinis. At ea, quæ sanguinis plus habent, ter duobus diebus cibanda: sunt enim minoris concoctionis (quippe sanguis, cum sit mixtus, obnititur concoctioni) quàm biliosa: & maioris, quàm pituitosa. Ergo qui phlegmate abundant, facillimè ferunt ieiuniũ exemplo sunt senes. Quinetiã hyeme facilè inediã toleraremus, nisi calor ad interiora reuocatus, calefaceret, magisque conficeret.

Dubitationes. *Cap. VI.*

VErum hic ſuboriri video nonnihil dubii, quidnam de Vrſo ſit dicẽdum,quem Ariſtoteles lib.vi.de Hiſtor. animal. cap.xxx. & lib. viii. cap.xvii.ſcribit latere, vt minimum dies.xl. potiſſimum menſe tertio: at frigoris ne cauſa lateat, an ob aliam quampiam? ambigi. Ad hæc, eo tempore nihil omnino cibi ſumere, attamen adeò pingueſcere, vt non citra difficultatem ſe poſſit loco mouere. Demum bis ſeptem primis diebus ita ſopiri, vt ne tantillum quidem ſe moueat. Huiuſce rei,meo iudicio,alia conuenientior ratio aſſignari nequit ea,quã Auicẽna lib.iii.cap.de Deſtructione appetitus, & debilitate ponit. Abſtinet, inquit, Vrſus, & Echinus, plurimaq; animalia à cibo, hyeme,tempore extenſo: quoniam Natura operatur in rectificando illud, quod eſt ex crudis humoribus in corpore, digerendo ipſum, & administrando loco eius,quod reſoluitur.Ex quo quis colligat,à natura illis potiſsimum inſitum eſſe,latere: Sunt enim animalia voraciſsima, & crudis necdum digeſtis cibis,alios accumulant:contrahuntque cruditatem maximam: Quare eo tempore colligunt ac contrahunt ſe, vt calor ſit vehementior, & melius concoquat. Quam etiam ob rationem perpetuos dies quatuordecim dormire feruntur,groſsioribus vaporibus caput aſcedentibus:nam interim dum dormimus, fieri meliorem concoctionem Ariſtot.lib.de Somno docet.Huic Auicennę ſententiæ aſtipulari videtur Ariſtot.cum ait, pinguedinem,ſignum eſſe bonæ concoctionis: & ſi quædam ſint animalia,vt homo,quæque ſanguinea vocantur(in quibus pauca eſt pituita,& calor acutior)quæ ſomno & inędia macreſcunt.In ſumma ergo, ex verbis Auicennæ colligitur,id nutrire, quod concoquitur, idque ſuccedere in locum deperditi,ac Vrſis ſufficere,quod ſint pauciſsimi ſanguinis:Quòd verò vnguem ſugat, non alia puto cauſa eſt,niſi vt traducat phlegma ad os,et digerat: Sed nihil certi habetur. Præter hæc elici poteſt,animalia pituitoſa pauco indigere nutrimẽto, ratione frigiditatis;

& appetere quidem plurimum,minus tamen conficere:
Bilioſa verò contrà plus cõcoquere,& minus appetere.
Quinetiam corpora ægra minus deſiderant, minuſque
ſumunt,quàm ſana: quod natura occupetur, in conco-
quendo vitioſum humorem,quò facilius concoctum ex
pellat: vſque adeò vt quoſdam morbo laboranteis, diu
ſuperuixiſſe ſit compertum,& nihil penitus ſumpſiſſe.

Cauſæ inediæ puellæ. Cap. VII.

DEnique cùm mulieres frigidiores ſint, groſsioribuſ
que humoribus abundare cõſtet,hæc omnia nobis
concludere poſſe videntur,Puellam hanc Germanicam,
naturà refertam eſſe plurima pituita,non modò ratione
ſexus, ſed etiam proprii temperamenti:atq; ex hac cru-
dorum humorum copia frigiditateque incidiſſe in ſpaſ-
mum vniuerſalem;ita vt ventriculus ſtupefactus, & vt
ita dicam,ſpaſmatus, & nihil ſentiens, careat appetitu,
deſiderioque cibi.Eſt enim appetitus,ſenſatio triſtis,in
ore ventriculi.Quare cum ſtupeat,non appetit: & cúm
phlegma humectet,nõ ſitit, cumque fiat cõtinua crudi
attractio,natura id cõcoquens, ſubſtituit in locum de-
perditi. Huius rei argumentum eſt,quòd aliquando ſu-
mere aliquid coacta,id euomens,cum eo putridũ pitui-
toſumque humorẽ eieciſſe dicitur. Durat verò vita,quo
niam calidum remiſſum eſt,& ſufficiens nutrimento,ac
quòd parum deperdat,pauco indiget alimento.Puto ni
hilominus,non diu fore ſuperſtitem, ſed citiſsimè è vi-
uis abolendam,ſi perpetuo inediam ſeruat.Hanc noſtrã
de alimento ſententiam confirmare videntur ea:quę Al
bertus lib.vii.de Animal. ſcribit.Accidit,inquit,animali
bus inedia,quibus eſt humor pituitoſus, & craſſus, ca-
lorque debilis,non cõcoquens,vt valeat decoquere craſ
ſum illum incoctumque humorem. Atq; hæc animalia,
quæ id patiuntur, ſunt ſpiſſę pellis: proinde fumus ille
eleuatus,aut illa humiditas, non poteſt per poros foras
deſtillare:ſed reuocatur ad interiora,ſanguiniq;, qui ob

pituitæ naturam induit,cõmiſcetur. Id quod non modò piſcibus,auibus voracibus, reptilibus, quadrupedibuſque:ſed hominibus quoq; accidit, & imprimis mulieribus. Quod confirmat, cum ait, ſe vidiſſe Coloniæ mulierem,quæ interdum totos triginta,interdũ viginti dies,nihil cibi ſumeret.Et virum melancholicum,qui vt eius vtar verbis,cuſtoditus, & clauſus, ſeptem ſeptimanis ſine cibo viueret:ſed ſingulis,aut alternis diebus hauſtum tantummodò frigidæ puræ adhiberet;addens illud magna adhibita diligentia,occluſis,obſignatiſque foribus ita fuiſſe compertum:atque id ſępius trium,aut quatuor ſeptimanarũ ſpatio factitari ſolitum.Hinc colligit,animalia illa diutius latere, quibus multus eſt humor pituitoſus,& calor debilior,accidereque frequentius hyeme:Humor enim craſſus eo tempore potiſsimũ generatur. Sed nec illud omittendum, quod Petrus de Abano,in interpretatione vltimi problematis.x. ſectionis ſcribit,ſe à viris probatæ fidei accepiſſe, Puellam in Normandia ſua tempeſtate fuiſſe,annos natam triginta, quæ annos decem & octo nihil guſtaſſet cibi. Ad hoc,inquit,facit calor humido proportionatus, & vis ſyderũ. Quæ verò ſydera huic inediæ conducant, ſatis prolixe in Materno eſt cognoſcere:Nicolaus & Gẽtilis Herculanus de quibuſdã dicunt ægrotis ſine cibo vixiſſe. Nec eſt quòd aëre Puellam hanc viuere quis exiſtimet, proptera quòd nihil excernere dicatur: Nam cũ nutriatur ſemidigeſto alimento,minimeque groſſo, ſua ſubtilitate,& naturæ ad nutritionem neceſsitate, totum conuertitur in viuentis ſubſtantiam;niſi dicamus,quòd ob tantam ſubtilitatem in vaporem diſſoluatur.Quòd verò,in aperto,aërique peruio loco dormire narrent,in cauſa eſſe videtur exiguus calor: qui facilè à maiori diſſolueretur,& euaneſceret.Hinc qui Indiã incolunt, debiliores ſunt,quàm ii,qui Septentrionẽ:quoniã in aëre calidiori viuũt,& fit naturalis calidi diſſolutio. Argumento ſunt aueis Diomedis,quæ æſtate loca frigida incolunt, & in

antris latent:quoniã natura ſint frigida,& calore debili,qui facilè diſſolueretur.at hyeme in aperto viuunt aëre,ꝙ calor eo tempore reuocetur ad interna,Porrò ſpiritus clarificatur lumine,& vt loquimur,euentatur nouo aëre,non admodum quidem frigido,ſed temperato. Nec mihi quis obiiciat, credatque Chamæleõtem aëre nutriri:nam cùm ſit animal cibi paucißimi, pauco opus habet alimento,formiciſq. & muſcis alitur:Quamobrẽ, egerit quoq; excrementa,vt ſæpenumero vidimus:Mutat autem colores(vt id quoq; obiter adiiciam) propterea ꝙ,vt Ariſt.docet,ob paucitatẽ ſanguinis, timidißimus ſit,ac quauis leui de re perturbetur. Quin nec Sala mãdra nutritur igne,q̃uis animal ſit adeò frigidũ,vt vel ſemel trãſiens,ignẽ extinguat.Eam ob rem rectè Ariſt. cum lib.v.de Hiſto.animal.vermeis rubros in niue vetu ſtiore naſci doceat,addit eos nõ ſola niue ali, cũ niui ali quid ſit cõmixtũ,quo illi nutriãtur. Præterea in Cypri fornacibus: vbi chalcites lapis crematur, pluribus diebus beſtiolas pẽnatas in igne oriri,nec tamẽ illo nutriri ſed partibus vltimò reſolutis,& calido animari: Quare diu illas viuere,nõ eſſe credendũ. Piſces denique, vt ex Ariſt.de Hiſto.anim.lib.viii.colligitur,pura ſynceraque nõ nutriũtur aqua.cũ alii alga,& muſco,aut enaſcẽte ali qua materia,alii mutua ſui generis præda, nõnulli limo & ſiquid in luto cõperiãt,alãtur:Verũ noctu potius pa ſcere,& interdiu in altũ ſecedere ſunt ſoliti,Democritũ & Olympiod. vel ſiquid Græcia mẽdax audet in hiſtoria.vt falſum reiiciamus : Siquidẽ quantũ Græcis teſtimoniis ſit adhibẽdũ fidei: Cicero tũ in orationibus tũ ad Q.fratrem,quin potius ſexcentis in locis, nos docet. Hæc ſunt Pont.ſapiẽtißime,quæ in præſentia citra verborũ lenociniũ, Ariſt.veſtigia ingrediẽti, quãtũ quidẽ a cõtinuis meis occupationibus, ſucceßiuo tẽpore vacare licuit,mihi ſcribẽda putaui.quæ ita tandẽ probata ſatis & cõmẽdata intelligã ,vbi iudicio tuo, longè acerrimo, non diſplicuerint.

FINIS.